



sed nos usque in crastinum in portu mansimus: hanc civitatem describam in reditu meo.

Sexta decima die ante plenam lucem traxerunt galeotae navem remis extra portum usque ad cornu montis, et ibi vento navem commisimus, et mare maleum ingressi sumus, pertranseutes civitatem Coronam in rupe sitam. Post meridiem flare coepit ventus fortis, et festinanter processimus ad radices Maleae sine contrarietate et per promonctoria ejus sine difficultate navigavimus, quod tamen raro contingit. Semper enim occurrunt in loco illo difficultates et pericula, ut patet fol. 170. partis secundae. Per totam autem noctem cum illo vento processimus pertranseutes scyllas et scopulos multos in tenebris cum bona fortuna. Valde enim difficilis est navigatio in illa regione maris, quando venti prosperitas non arridet. (64A)

Decima septima die vidimus insulam Cretam, sive Candiam aut Centapolim. Porro post meridiem factus est ventus remissus et sine profectu in fluctibus nunc huc nunc illuc volebamus, nec Cretam illa die adire poteramus. Alius autem patronus Augustinus dimissa Creta de Malea in Cycladum insulas navigavit. Noster vero patronus Cretam praeterire noluit, quia visitare dominum patriarcham constantinopolitanum, qui archiepiscopatum cretensem tenet, voluit. Idem enim Patriarcha erat venetianus, et pater ac genitor nostri patroni: quare declinare ad illam insulam decrevit. Sed ne peregrini occasionem contra eum murmurandi ex hoc acciperent, exposuit illo die unum sericum pannum, atlas dictum, VI. ducatorum, ut pro eo luderent cum chartis. Hunc pannum lucratus fuit Dominus Beer de Hohenrechberg, unus de Dominis meis. Et fuit die illo magna saecularis laetitia in galêa propter ludorum varietatem. Nam omni die fiebant magni et criminosi ludi a nobilibus in navi cum chartis et taxillis, et nunc ille perdidit, nunc iste lucrabatur, et erat dissolutio magna in ista galêa, sine tamen contentionibus. Novi quosdam juvenes nobiles milites, qui tantam pecuniam secum attulerunt, quod cum ea ad Sanctam Katharinam pergere intendebant, et sufficientiam ad hoc habebant. Sed maledicto ludo interveniente ad inopiam et defectum venerunt, ita quod non poterant habere expensas usque in Jerusalem; nisi socii eis concessissent, sine militia

181

179

185

175

190

170

230

130

280

080

Ende

Anfang